



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Seueritatem misericordia temperandam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

fas, præstat utique esse in Mundo metum à diuina Iustitia venientem; & his erudiuntur molles illi, qui optarent, Deum ita esse bonum, ut nullum vnquam plecteret. Optant enim isti scelerum impunitatem.

Sed & aliud est genus hominum, qui cum Carpo efferuescunt, & illico volunt omnes fulminari peccatores. Quippe nuntales reperiantur, cum & Apostoli nimio zelo ebullientes dixerint: *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de celo, & consumat illos?* sed rectè Christus conuersus increpauit illos dicens: *Nescitis cuius spiritus estis, Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Nempe, ut olim vnagladium, altera librum gerenti dictum est; *Ex utroq; Caesar*: ita Deo dici debet, prouidentiam eius ac gubernationem constare operibus misericordiæ & iustitiæ scelera vindicantis. Quo sensu dicitur: *Omnes via Domini misericordia & veritas*, seu iustitia, ut ad eò iustitia dimidiam quoddammodo, & benignitas Dei alteram dimidiam diuinæ prouidentiae gubernationisque partem occupet. Sic nemo præsumere, nemo potest rectè credens desperare; nemo nimiam vel indulgentiam, vel inclementiam Numinis accusare.

Zeno Eleates, cum ascenderet in theatrum, cithara canente Amœbeo, versus ad discipulos dixit: *Eamus, ut pernoscamus, quam vocem, quemq; concentum edant intestina, nerui, lingua, & ossa, quibus adest ratio, numerus & ordo.* Si in rebus inanibus tantum valent illa, quanto plus valebunt, si in omni hominis vita seruentur? Hæc ratio, numerus & ordo multò magis seruandus est, in hoc Vniuerso. Pulcherrimè concinunt, Iustitia & Misericordia; Timor & Amor; ille pro freno est, iste pro calcari. Terribilis & metuendus est Iudex Deus; sed, ne quis desperet, amabilis est & desiderabilis animæ sponsus. Itaque non tantum terret, non tantum punit; sed etiam mulcet & protegit. *Quoniam, secundum altitudinem cæli à terra, corroborauit misericordiam suam super timentes se. Confirmauit Dominus misericordiam suam, ait S. Augustinus, super timentes se. Secundum quid? secundum altitudinem cæli à terra. Quid dixit? si aliquando potest cælum abscedere à protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende: cælum ubiq; atq; vndiq; protegit terram, & nulla pars terræ est, que non cælo protegatur. Peccant homines sub cælo, faciunt omnia mala sub cælo, cælo tamen proteguntur. Inde lux ad o-*

V I.

Luc. 9. 54.
v. 56.

Pfal. 14. 10.

V II.

Pfal. 102.

S. August. in
eund. Psal.